

LC
P 718 Bu

PLATONIS) OPERA

RECOGNOVIT
BREVIQUE ADNOTATIONE CRITICA INSTRVXIT

IOANNES BURNET

IN VNIVERSITATE ANDREANA LITTERARVM GRAECARVM PROFESSOR
COLLEGII MERTONENSIS OLIM SOCIVS

TOMVS I
TETRALOGIAS I-II CONTINENS

18948
5/10/11

OXONII
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

PA.
4279
A2
1905
t.1

OXONII

Excudebat Horatius Hart

Typographus academicus

PRAEFATIO

CETERIS libris Platonice cum antiquitate tum fide excellere iam pridem constat inter omnes codicem Clarkianum sive Bodleianum (Bekkeri \mathfrak{A} , Schanzii B) anno DCCCXCV exaratum, et Parisinum 1807 (Bekkeri A) eiusdem fere aetatis. his post egregiam viri doctissimi M. Schanz in librorum stirpibus indagandis collocatam operam tertius accessit Venetus bibliothecae Marcianae Append. Class. 4, cod. 1 (Bekkeri \mathfrak{t} , Schanzii T). cum autem alia sit ratio tetralogiarum I–VII, alia reliquarum, de illis tantum hoc loco dicendum est. scilicet sermones Platonici, iam antiquitus in tetralogias dispositi, duo volumina explevisse videntur, cuius rei vestigium servant verba *τέλος τοῦ πρώτου βιβλίου* in Marciano aliisque quibusdam libris ad calcem Menexeni adscripta. eundem ordinem secuta sunt apographa vetustissima ut non mirum sit in tanto librorum interitu Parisini prius, alterum Clarkiani volumen periisse.

Prioris igitur voluminis imaginem refert Clarkianus, sed ne hanc quidem integram, cum casu aliquo factum sit ut tetralogiam VII non exhibeat; Marcianus, qui Civitatem et Timaeum continet, sed posteriora a recentioribus librariis postea addita, habet a prima manu tetralogias I–VII et ex octava Clitophonem et Civitatis libros i–iii, 389 d. his igitur fundamentis nititur prioris voluminis memoria; quod enim iam

PRAEFATIO

senserat M. Wohlrab, duas omnino codicum familias esse, id M. Schanz, qui antea cum Cobeto nil fere *deterioribus* ut aiebat tribuerat, libello plus viginti abhinc annos edito¹ tam certis indiciis comprobavit, ut nullus iam locus dubitandi relictus sit. licet enim quibusdam, velut ipsi M. Wohlrab, non probaverit reliquos libros a Clarkiano et Marciano totos pendere, at nemo nunc negabit his libris Platonis memoriam ita contineri ut ceteris omnibus paene sine damno carere possemus. sed de hac re in commentariolo critico mox edendo fusius disputare constitui; hoc tantum nunc dico, Schanzium meo iudicio verum vidisse rectissimeque farraginis librorum a Bekkero et Stallbaumio congestae iacturam fecisse.

Priorem igitur in tetralogiis I-VI familiam ducit Clarkianus, Marcianus alteram. et Clarkiani quidem ab omnibus conceditur summam esse auctoritatem, Marcianum diu neglectum in lucem rursus protraxit M. Schanz, quae res non mediocriter Platonis memoriae profuit. licet enim Clarkiani ea sit indoles ut singula quaeque fidelius repraesentet, quippe cuius menda eiusmodi fere sint ut recta via ad verum ducant, at saepius omittendo peccat et lacunis hiat, quae nunc nullo negotio e Marciano sarciri possunt, cum antea ad apographa nullius fere auctoritatis, praesertim Venetum 184 (Bekkeri Ξ , Schanzii E) in Bessarionis usum exaratum, confugiendum esset. adde quod passim in Clarkiano intempestive corrigentium manibus prisca scriptura periit et ex eius apographis Tubingensi (Stallbaumii \mathfrak{X} , Schanzii C) et Veneto 185

¹ Über den Platocodex der Markusbibliothek in Venedig, Append. Class. 4, Nr. 1. Leipzig, 1877.

(Bekkeri Π, Schanzii D) repetenda est. quae cum ita sint, si Clarkianus solus suppeteret, Platonem haberemus sed mancum et mutilum et passim sollertis critici indigentem, quae tamen res propterea fugit parum diligentem lectorem quia textus vulgatus, ex apographo quodam Marciani descriptus, telam quandam suggerit cui editores Clarkianas lectiones intexere possint.

Marcianum, alterius familiae ducem, scripsit librarius paulo eruditior qui perraro omittendo peccat nec fere ea scribit quae nullo pacto intellegi possint. correctiones et varias lectiones ipse in margine passim adscripsit. recte plerumque decurrit oratio ut nusquam fere haereas. quae omnia ne librario adscribenda esse putemus suo arbitrio corrigenti interpolanti idcirco prohibemur, quod non semel sinceram et antiquam lectionem hic liber solus servavit. cuius rei unum exemplum apponere iuvat nobilissimum locum Phaedonis 77 e. hic Socrates vulgo credebatur dixisse Ἄλλὰ χρὴ αὐτῷ ἐπάδειν ἐκάστης ἡμέρας ἕως ἂν ἐξιάσῃται (id est, ut videtur, ἐξάσῃτε), quae etiam in prioris familiae libris sic scripta invenies. primus verum vidit Heindorf, ἐξεπάσῃτε rescribere iubens. evolve nunc Marcianum. in textu scriptum videbis ἐξάπαίσητε, cum librarius primo aspectu ante oculos habere ἐξαπατήσητε sibi visus sit; sed, cum in margine Clarkianum illud ἐξιάσῃται adscriptum sit, hanc scilicet correctionem rettulit textus vulgatus. priscam scripturam in uno Vindobonensi Υ invenies, cum alia Marciani apographa ἐξετάσῃτε, ἐξευπάσῃται vel similia exhibeant. videsne Schanzium recte statuuisse alterius familiae memoriam Marciano totam contineri?

Quae cum ita sint, satis apparet Marcianum ex

PRAEFATIO

optimae notae exemplari descriptum esse, quod non sine causa suspiceris ipsum Parisini deperditum volumen fuisse. sed de hac re cum ad Civitatem perverimus occasio erit dicendi; nunc satis sit cognovisse praeter spem novum et idoneum testem Schanzium protulisse. hoc tamen cavendum ne plus iusto Marciano tribuamus; nam in singulis verbis conformandis apparet eius testimonium minus valere. notandum imprimis saepius immutatum esse verborum ordinem, ut fit dum inter scribendum sententiae magis quam litterulis animum intendimus, quod ipsa signa transpositionis a prima manu passim addita testantur. quare in iis et eiusmodi rebus boni critici est Clarkiani testimonio stare, cum praesertim in scribendi ratione propius ad sinceram Atticorum normam accedat.

Sunt praeterea codices interpolati permulti qui, quanquam priori familiae si summam rem spectas adnumerandi sunt, identidem lectiones alteri proprias exhibent. horum instar est omnium codex Vindobonensis 54, suppl. phil. Gr. 7 (Stallbaumii Vind. 1, Schanzii W), qui ita cum Clarkiano consentit ut scripturas Marcianas passim admisceat. quin etiam haud raro lectiones servavit quae, tametsi vetustatis notam gerunt, neutri familiae referre possis. huic libro similis fuit quem secutus est vetus Armenius interpres Euthyphronis, Critonis, Apologiae, cuius lectiones publici iuris fecit F. C. Conybeare noster¹, qui tamen Vindobonensi nondum bene cognito, eo adductus est ut apographi foede interpolati Vaticani 225 (Bekkeri Δ) partes susciperet. at si quid video huiusmodi res est. extitit olim Platonis recensio a nostra diversa, cuius

¹ *American Journal of Philology*, vol. xii. pp. 193 sqq.

PRAEFATIO

14
vestigia etiam apud Eusebium, Stobaeum aliosque scriptores deprehendas, unde non ita pauca in codices istos defluerunt. quod si verum est, ut prorsus Schanzio assentiendum tertiam familiam, quod nonnullis placuit, hodie non extare iudicanti, nec multum consensui Marciani et Vindobonensis tribuenti, ita quotquot hic praebet singulares lectiones diligentissime erunt perpendendae, praesertim sicubi versio Armeniaca accesserit.

Superest ut de fide fragmentorum Phaedonis a viro clarissimo Flinders Petrie nuper reperorum pauca dicamus, quae intra centum annos post Platonem mortuum in Aegypto papyro exarata esse videntur. quorum meo quidem iudicio praecipuus est usus quod non sinunt plus iusto Clarkiano tribuere, cum non semel cum altera familia conspirent. sed tanta incuria scripta sunt, tot manifestis erroribus scatent, ut vel inde colligas quantum praestent codices nostri ex optimis exemplaribus descripti apographis quae iam tum vili pretio in usum litteratorum plebis prostabant.

Lex est huius editionis ut, quantum fieri potest, sermo Platonicus, nisi in rebus quae ad scribendi rationem pertinent, talis servetur qualis in communi duarum familiarum fonte extiterit, adhibito tamen Vindobonensi et affinis eius si quando antiquiorem lectionem servasse videantur. non erat nostrum virorum doctorum coniecturas nec nostras in textum recipere praeter eas quae tam certae et firmatae essent ut de iis vix dubitari possit. quam rationem in verbis scribendis secutus sim facile intellegent harum rerum periti, ceteri non curabunt.

Codicem Clarkianum, cum Oxonii essem, multis

PRAEFATIO

locis inspexi, Politicum a Schanzio nondum editum ipse accurate contuli. vehementer doleo Clarkianum phototypice expressum non prius inter manus fuisse quam plagulas plerasque correxissem. mihi primo contigit Marcianas lectiones in Phaedone et Politico divulgare, cum hic a Schanzio nondum editus sit, ille editus quidem sed nondum adhibito Marciano. quod ut facere possim, acceptum refero bibliothecario Veneto, Comiti Soranzo, qui intercedente T. W. Allen hos dialogos meum in usum phototypice exprimentos curavit. in reliquis dialogis codicum notitiam plerumque a Schanzio et Wohlrbio mutuatus sum, in Sophista praesto fuit nitidissima Ottonis Apelt editio. sicubi autem de Vindobonensi (W) non mihi constaret, in eius locum successere affines, praesertim Vindobonensis 109 (Bekkeri Φ).

IOANNES BURNET.

*Scribebam Andreaepoli Scotorum
e collegio S. Salvatoris et D. Leonardi
mense Novembri M.DCCC.XCIX.*

DE codice Vindobonensi (W) a viro doctissimo Iosepho Král meliora edoctus, vidi, in *Phaedone* praesertim, longius a Schanzianis rationibus discedendum esse. nunc igitur habes huius dialogi textum ad trium codicum BTW auctoritatem retractatum.

IOANNES BURNET.

mense Novembri M.CM.V.

DIALOGORVM ORDO

TOMVS I

TETRALOGIA I

ED. STEPH.

EVTHYPHRO	I. pp. 2-16
APOLOGIA SOCRATIS	I. pp. 17-42
CRITO	I. pp. 43-54
PHAEDO.	I. pp. 57-118

TETRALOGIA II

CRATVLVS	I. pp. 383-440
THEAETETVS.	I. pp. 142-210
SOPHISTA	I. pp. 216-268
POLITICVS	II. pp. 257-311

TOMVS II

TETRALOGIA III

PARMENIDES	III. pp. 126-166
PHILEBVS	II. pp. 11-67
SYMPOSIVM	III. pp. 172-223
PHAEDRVS	III. pp. 227-279

TETRALOGIA IV

ALCIBIADES I	II. pp. 103-135
ALCIBIADES II	II. pp. 138-151
HIPPARCHVS	II. pp. 225-232
AMATORES	I. pp. 132-139

DIALOGORVM ORDO

TOMVS III

TETRALOGIA V

THEAGES	I. pp. 121-131
CHARMIDES	II. pp. 153-176
LACHES	II. pp. 178-201
LYSIS	II. pp. 203-223

TETRALOGIA VI

EVTHYDEMVS	I. pp. 271-307
PROTAGORAS	I. pp. 309-362
GORGAS	I. pp. 447-527
MENO	II. pp. 70-100

TETRALOGIA VII

HIPPIAS MAIOR	III. pp. 281-304
HIPPIAS MINOR	I. pp. 363-376
IO	I. pp. 530-542
MENEXENVS	II. pp. 234-249

TOMVS IV

TETRALOGIA VIII

CLITOPHO	III. pp. 406-410
RESPVBLICA	II. pp. 327-621
TIMAEVS	III. pp. 17-105
CRITIAS	III. pp. 106-121

DIALOGORVM ORDO

xlii

TOMVS V 1-2

TETRALOGIA IX

MINOS	II. pp. 313-321
LEGES	II. pp. 624-969
EPINOMIS	II. pp. 973-992
EPISTVLAE	III. pp. 309-363

~~TOMVS VI~~

DEFINITIONES	III. pp. 411-416
------------------------	------------------

NOΘEYOMENOI

DE IVSTO	III. pp. 372-375
DE VIRTUTE	III. pp. 376-379
DEMODOCVS	III. pp. 380-386
SISYPHVS	III. pp. 387-391
ERYXIAS	III. pp. 392-406
AXIOCHVS	III. pp. 364-372

1
+1

SIGLA

- B = cod. Bodleianus, MS. E. D. Clarke 39 = Bekkeri \mathfrak{B}
T = cod. Venetus Append. Class. 4, cod. 1 = Bekkeri t
W = cod. Vindobonensis 54, suppl. phil. Gr. 7 = Stallbaumii
Vind. 1
C = cod. Crusianus siue Tubingensis = Stallbaumii \mathfrak{C}
D = cod. Venetus 185 = Bekkeri Π
G = cod. Venetus Append. Class. 4, cod. 54 = Bekkeri Λ
V = cod. Vindobonensis 109 = Bekkeri Φ
Arm. = Versio Armeniaca
Ars. = Papyrus Arsinoitica a Flinders
Petrie reperta
Berol. = Papyrus Berolinensis 9782 (ed.
Diels et Schubart 1905)

Recentiores manus librorum B T W litteris b t w significantur

Codicis W lectiones cum T consentientes commemoravi, lectiones cum B consentientes silentio fere praeterii